



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. XII. Quemadmodum Desiderius cantare didicerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

ce canit, psallitque & honore afficit  
 DEUM pro illius infinita sapientia.  
 Tertius Laudario est, qui voce Tenoris utens, DEI immensam prædicat & extollit bonitatem, cunctasque illius virtutes, nobilitatem & excellentiam, & quicquid is in seipso est. Quartus est Gratiarum actio, qui Bassum agens, grates canit DEO ob cuncta ab eo condita, & beneficia omnia creaturis quibuscunque ab eo collata.

*Quemadmodum Desiderius  
 cantare didicerit.*

## CAPUT XII.

**M**irificè intereà Desiderius & modo cantandi, & cantu ipso capiebatur: aitque illi DEI Desiderium: Vide jam, utrúmne reverti velis. DESID. Quonam ire poterò, ubi meliùs sim habiturus, præsertim cùm huc tanto labore & diffi-

K 5 cul-

cultate pervenerim? Equidem cum me hinc bene accipi, multaque pace & consolatione perfrui sentiam, neutiquam hinc discedam. Namque trito fatis proverbio dici solet: Qui bene est, locum non mutet. Itaque mi Domine, ut hinc abscedam, adduci non potero, nisi me etiam magnâ violentiâ hinc expuleritis. **DESID. DEI.** Non ea nobis consuetudo est, ut quenquam hinc invitum excludamus: obsecramus potius eos, qui huc veniunt, ut apud nos permanent. Attamen ut nôrint, non aliqua necessitate nostra nos quenquam huc admittere, nonnunquam ex eis percontari solemus, utrum abscedere velint. Sed quia hinc permanere constituiisti, non oportebit hinc ociosum te agere. Non enim ullus hinc demoratur ociosus & iners, aut qui bonas horas malè collocet. **DESID.** Quid igitur me facere oportet? **AMOR DEI.** Id quod tibi demandatum erit. **DESID.** Quòd si nihil mihi deman-  
de-

detur, ecquid faciam? DESID. DEI. Cantabis videlicet, gratesque & laudes ages DEO. Nam potissimum cantandi gratiâ huc admissus es. At nihilominus dum id facis, quod iuberis, intra tete canere potes, nec cogitationibus ociosis pateas. Quod si multum proficere, Dominoque nostro impendio placere, atque in ejus te amicitiam insinuare, ingen-temque facere fructum voles, quoad poteris, (si nihil tibi commissum fuerit) cum illo solo colloqui & con-vertari debebis. Tum verò audies, quid in te loquetur, percipiesque secreta multa, quæ ipse tibi revela-bit, atque intimus illius efficieris amicus. DESID. Potestne quilibet in ejus cubiculum ingredi, atque cum eo miscere colloquia? DESID. DEI. Ita planè, modò humilitate sit comitatus. Estque hoc, crede mihi, præcipuum illius gaudium, ut ad ipsum quis accedat, ipsumque exciter. Siquidem hæc illius natura

K 6 est,

est, ut solus esse nōlit, & quantumvis abjectâ & humili quis prosapiâ sit oriundus, tamen illi adesse & velit, & delectetur. Tanta enim illius præstantia & dignitas est, ut personam non attendat, nec personarum apud eum discrimen sit, modò tamen animus humilis sit. Enimvero tanti illi constitit unus homo atq; alius, mortalesque omnes ex eadem massa creavit. Imò quod plus est, quò persona est abjectior & vilior, modò ipsa se abjiciat & parvi pendat, eò majorem erga eam declarat amorem, atque uberiùs gratificatur. Et reverà, qui hîc apud nos degunt, eorum pars maxima (paucis fortè exceptis) humili genere orti sunt. Quos enim mundus despicit, DEUS ad suum elegit famulatum, ne quis domûs hujus habitatorum persuadere, sibi velit, non solâ DEI gratiâ & benignitate, sed suis se meritis id esse assecutum, ut huc intromitteretur. Si igitur apud nos commorari voles,  
 nul-

nullamque jacturam facere, & cum aliis cantoribus canere, efficereque, ut cantus tuus Domino nostro gratus sit, hæc quatuor servare curabis: Primum est Bona Voluntas, alterum Humilitas, tertium Patientia, quartum Charitas: quibus modulis quatuor quoties cantaveris, nunquam cantione errabis. Et licet interdum quippiam negligas, nec satis exactè canas, facile tamen probè auscultando ad cantus normam & mensuram tere reduces. Primo modulo, qui est Bona Voluntas, cantum planum & simplicem, qui reliquorum velut basis est & fundamentum, canes. Altero verò & tertio, puta Humilitate & Patientiâ, Contrapunctum (ut vocant) canes. Siquidem Humilitas & Patientia contrariæ sunt semper voluntati propriæ. Quarto denique, nempe Charitate, organorum exprimes cantiones & sonos, idque ingenti animæ & spiritûs tui dulcedine, atque harmoniâ.

niâ. Quòd si labi & dissonare te  
 contigerit, mox ad primum modu-  
 lum te recipias. Porrò si ab aliorum  
 etiam numeris modulorum excide-  
 ris, Correctorem auscultes: qui  
 Domini nostri Amore, & ejusdem  
 auxilio, primo te tono & mensuræ  
 restituet. Cum primis verò in omni  
 cantione tua id fac diligenter obser-  
 ves, ne fructum illum obliviscaris  
 edere, quem in Humilitatis domo  
 percepisti, nempe Sui Diffidentiam:  
 & quò plus Amoris & Desiderij DEI  
 adeptus eris, eò perfectiùs eum co-  
 gnosces & gustu experieris. In-  
 summa: tantò majori Domini ami-  
 citia perfruêris, quantò illi hunc  
 fructum copiosiùs exhibueris; siqui-  
 dem eo libenter vescitur, &  
 admodùm ei gratus est &  
 acceptus.

